



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 136. Principes in Regis Gratiam reversi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. gitimo Judicio probe cognita, in ca-
A.C. 1616. lumniarum Authores, præcipue duos
 illos vilissimos homines, a quibus omne
 malum in Regno exortum est, ex legi-
 bus Regni animadversum, omnisque
 eorum posteritas funditus everfa, ac
 Condæus in libertatem assertus fuerit.

§. CXXXVI.

Principes in Regis gratiam reversi.

Serran.
Franc. Hist.
Calmet Hist.
Univ. l. 151.
§. 93.
Merc. Gal-
lob. tom. II.
l. 3.

Quamvis Regi frivola horum Princi-
 pum excusatio haud incognita es-
 set, satisque compertum haberet, quod
 vix ulla unquam subditorum in Regem
 suum rebellio exstiterit, quam non re-
 belles specioso publicæ salutis, ac Re-
 giæ incolumitatis obtentu honestare
 niterentur, aliunde etiam venditatum
 ipsorum obsequium merito sibi suspe-
 ctum haberet, eo potissimum nomine,
 quod vix cognita Condæi captivitate,
 mox Rupellani castellum Rupifortium
 invadentes, illud præsidio Calviniano
 firmassent; alii vero Calvinistæ Sacrum-
 Cæsaris occupassent: nihilominus Rex
 populi sui calamitates misertus, pro-
 num ad reconciliationem animum præ-
 fererebat; opportune etiam eo tempo-
 re Guisus Dux ad aulam reversus, ar-
 ticulos, quos Principes eidem scriptos
 tradiderant, Regi consignabat, palam
 testa-

testatus, quod Principes omnes, qui ^{Sæc. XVII.} ab aula secessissent, nil ardentius ex- ^{A. C. 1616.} optarent, quam pacem & tranquillitatem publicam, sique eorum petitis Rex morem gerere non recusaret, omnium hucusque gestorum rationem reddere parati essent. Rex igitur discussis hisce articulis vix non omnia, quæ petebant, indulgit, simulque die trigesima Septembris promulgato edicto declarabat, quod sibi ab hisce Principibus satisfactum profiteatur, eosque pro fidei subditis ac Ministris suis habeat, nec eos conscios, aut eorum facinorum, quæ in declaratione die septimo ejusdem Mensis contra Condæum facta, exposita fuere, participes esse existimet: His igitur articulis Principes die sexta Octobris subscribere, Regisque edictum die vigesima quinta ejusdem Mensis ad Curia acta relatum est. Rebus ita compositis Longævillanus Dux Peronam urbem Regi reddidit, Ancræus quoque hujus urbis Præfecturam dimisit, eodemque tempore Cainensis urbs necnon Bituricensis arx sese Regiis copiis dedere. Cum autem Ancræus ad aulam revocatus, majori, quam unquam, auctoritate valeret, cunctaque ad ejus vel Conjugis suæ arbitrium disponerentur, invidiæ ac dissensionum flammæ adhuc sub cineribus latentes paulopost

Sæc. XVII. A. C. 1616. apertius erupere, in extremum An-
 cræi excidium, uti memorabimus: Nec
 etiam Regio hoc rescripto firma rediit
 Principum concordia; cum enim non-
 nullis illud ab Ancræo ad Principes pa-
 cis securitate sopiendos profectum exi-
 stimarent, Regemque de contrahendo
 exercitu novo valde sollicitum esse, imo
 a Regiis copiis Bullionii & Myæenii re-
 giones infestari cernerent, hinc illi, &
 præcipue Nivernius Dux se ad defen-
 sionem parabant, necnon Bullionius die
 decima quarta Decembris datis ad Re-
 gem literis de hac violentia quereba-
 tur, cui tamen Rex die vigesima septi-
 ma Decembris respondit, militem suum
 ad ea loca fuisse missum, ut machina-
 tiones adversus Regis, regnique sui
 quietem, pactorumque fidem coeptas
 everteret, & subditos ad debitam obe-
 dientiam reduceret.

§. CXXXVII.

*Bellum Ferdinandum Austriacum in-
 ter & Venetos.*

Sleid. rediv.
i. 21. pag.
1468.
Ferrar. hist.
Hisp. tom.
II. 6. 2.

Novum hoc anno bellum inter Ferdi-
 nandum Austriæ Archiducem, &
 Venetam Rempublicam exarsit, &
 origo hæc erat. Fuit mortalium genus
 quoddam, incertum an ex Istris, aut
 aliis Illyribus, an Adriaticis denique
 potius